



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vitruvius Itervm Et Frontinus**

**Vitruvius**

**Florentiae, 1513**

De p[ar]tibus architecturae in priuatoru[m] & publicoru[m] aedificiorum  
distributionibus & gnomonices & machinationis. Caput. III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12979**

paratq; in operibus sumptus cum ratione tempera-  
tio. Hæc ita obseruabitur, si primum architectus ea  
non quæret, quæ non poterunt inueniri, aut para-  
ri, nisi magno. Namq; non omnibus locis arena fossi-  
tia, nec cementorum, nec abietis, nec sappinorū, nec  
marmoris copia est, sed aliud alio loco nascitur, quo-  
rum transportationes difficiles sunt & sumptuosæ. Vt  
dum autem est, ubi non est arena fossitia, fluuiatica,  
aut marina lota. Inopia quoq; abietis aut sappinorū  
uitabuntur, utendo cupresso, populo, ulmo, pinu. Re-  
liqua quoq; his similia erunt explicanda. Alter gra-  
dus erit distributionis, cum ad usum patrum familia-  
rum, aut ad pecuniæ copiam, aut ad elegantie digni-  
tatem, ædificia alte disponentur. Namq; aliter urba-  
nas domos oportere cōstitui uidetur, aliter quibus ex  
possessionibus rusticis influunt fructus, non idem se-  
neratoribus, aliter beatis & delicatis, potentibus ue-  
ro, quorū cogitationibus respu. gubernatur, ad usum  
collocabuntur, & omnino faciendæ sunt aptæ omnibus  
personis ædificiorum distributiones.

De partibus architecturæ in priuatorum & pu-  
blicorum ædificiorum distributionibus & gnomoni-  
ces & machinationis. Caput. III.

**P** Artes ipsius architecturæ sunt tres ædifica-  
tio, gnomonice, machinatio. Aedificatio autē  
diuisa ē bipartito, è quibus una est moeniū  
& communium operum in publicis locis collocatio, al-  
tera est priuatorum ædificiorum explicatio. Publi-  
corum autem distributiones sunt tres, è quibus una  
est defensionis, altera religionis, tertia oportunitatis.

Defensionis

Defensionis est murorum turriumq; & portarum ratio, ad hostium impetus perpetuo repellendos excogitata. Religionis, deorum immortalium sanctorum, ad unumq; sacrarum collocatio. Opportunitatis, omnium locorum ad usum publicum dispositio, uti portus, fora, porticus, balnea, theatra, inambulationes, ceteraq; quae iisdem rationibus in publicis designantur locis.

Haec autem ita fieri debent, ut habeatur ratio firmitatis, utilitatis, uenustatis. Firmitatis erit habitatio, cum fuerit fundamentorum ad solidum depressio, & ex quaq; materia copiarum sine auaritia diligens electio. Utilitatis autem, emendata, & sine impeditione, usu locorum, dispositio, & ad regiones sui cuiusq; generis apta & commoda distributio. Venustatis uero, cum fuerit operis species grata & elegans. membrorumq; commensus iustas habeat symmetria rationes.

De electione locorum salubrium & quae obsint salubritati & unde lumina capiuntur. Caput. III.

**I**n ipsis uero moenibus ea erunt principia. Primum electio loci saluberrimi. Is autem erit excelsus & non nebulosus, non pruinosus, regionesq; coeli spectans, neq; aestuosas, neq; frigidas, sed temperatas. Deinde si euitabitur palustris uicinitas. Cum enim aurae matutinae cum sole oriente ad oppidum peruenient, & iis ortae nebulae adiungentur, spiritusq; bestiarum palustrium uenenatos cum nebula mixtos in habitatorum corpora flatus spargent, efficiunt locum pestilentem. Item si secundum mare erunt moenia, spectabuntq; ad meridiem, aut ad